BIBLIA VETERIS TESTAMENTI (PARS)

Deutschland (Sachsen ?), 2. Hälfte 13. Jh. Seite 1r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift

A. 1

Incipit epla. s. Jos. presbri ad Paulinum presbrm. de vniuersis diuine historie libris.

PROLOG

RATER AMBROSIUS

Tua michi munuscula perferens detulit. simul et suauissimas litteras que a principio amiciciarum fidem probate iam fidei. et ueteris amicicie noua preferebant. Vera enim illa necessitudo est. et xpi glutino copulata. quam non utilitas rei familiaris. non presentia tantum corporum. non subdola et palpans adulatio. sed dei timor. et diuinarum scripturarum studia conciliant. Legimus in ueteribus hystoriis quosdam lustrasse prouincias. nouos adisse populos. maria transisse. ut eos quos ex libris nouerant coram quoque uiderent. Sic ~~cut~~ pythagoras memphiticos uates. sic plato egyptum. et architam tarentinum. eandemque oram ytalie.

architam tarentinum

Que quondam magna grecia dicebatur. laboriosissime peragrauit. ut qui athenis magister erat et potens. cuius doctrinas achademie personabant. gymnasia fieret peregrinus atque discipulus. malens aliena uerecunde discere. quam sua impudenter ingerere. Venique cum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur. captus apyratis et uenundatus tyranno crudelissimo paruit. ductus captiuus uinctus. et seruus. Et tamen quia phylosophus maior mente se fuit. Ad tytum liuium lacteo eloquentie fonte manantem. de ultimis hyspanie galliarumque finibus quosdam uenisse nobiles legimus. et quos ad contemplationem sui roma non traxerat. unius hominis fama perduxit. Habuit illa etas in auditum omnibus scilicet celebrandumque miraculum. ut urbem tantam ingressi. aliud extra urbem quererent. Apollonius siue ille magus ut uulgus loquitur. siue philosophus ut pytagorici tradunt. intrauit persas. pertransiuit caucasum. albanos scitas. sagetas. opulentissima indie regna penetrauit. ad extremum latissimo physon amne transmisso. peruenit ad bragmas. ut iarcham in throno sedentem aureo. et de tantali fonte potantem. inter paucos discipulos de natura. de moribus. ac de cursu dierum. ac syderum ~~cursu~~ audiret docentem. Inde per elamitas. babylonios. chaldeos. medos. assyrios. parthos. syros. phenices. arabes. palestinos. reuersus ad alexandriam. perrexit ethyopiam. ut gymnosophistas et famosissimam ~~solis men~~ solis mensam uideret in sabulo.

etiam

inas

et

adbragmanas

37